



Ab ita longitudine diei per caput 32 huius in horis & minutis, diuide eandem per 12, & proueniens indicabit quantitatem horæ inæqualis in horis uel etiam minutis, notabisq; eam quantitatem, deinde duc gradum Solis illius diei ad contactum armillæ meridianæ, & in tali situ etiam indicem horarium ad 12 meridiei horam, & indice ita immobili in globo persistente, applica gradum Solis ad contactum horizontis orientalis, quoniam in tali dispositione globi stabit sæpeditus index horarius in hora ortus Solis illius diei in circulo horario. Ab hac hora ortus numera horas & minuta horæ unius inæqualis illius diei in circulo horario, iuxta ordinem horarum, & ubi numerus quantitatis unius horæ inæqualis cessauerit, fac notam, deinde ab illa nota iam signata, numera iterum eandem quantitatem horæ inæqualis, & ubi iterum numerus finitur, fac notā secundam, & sic ad usq; horam 12 meridiei, cui semper & omni die tam breui, quàm longa sextam notam impinges. Nunc etiam ulterius ab hac sexta inæquali, uel 12 meridiei, procede uersus occasum, numerando etiam quantitatem horæ inæqualis totiens quotiens ad horam & minutam occasus usq; semper in termino quantitatis horæ inæqualis notam ponendo, & sic habebis horas inæquales tui diei, cuius quantitatem per 12 distribuisti, est enim tunc initium primæ horæ inæqualis illius diei, ab hora & minuta ortus Solis, & finis eius atq; initium secundæ horæ inæqualis, in prima illarum notarum, & finis huius secundæ horæ in nota secunda, & ibidem initium horæ tertiæ, & sic ad occasum usq; Solis, ubi erit finis 12 horæ inæqualis. Sic enim faciliter habebis horam inæqualem per indicem horarium iuxta præceptum capitis præcedentis 38. uel per radium Solis, uel per comparationem horæ communis horarij, cum notis iam signatis in circulo horario. In horis nocturnis idem erit modus, sed incipe numerum notarum in circulo horario ab occasu Solis, & partire arcum nocturnum per 12, pro quantitate horæ inæqualis.

**Horas diurnas à Sole tam ab ortu quàm ob occasu,
uel meridie inchoantes, organi huius Astronomi
adiutorio ubiq; capere.**

CAPVT XLII.



PRO horis communibus, quorum initium sumitur à meridie, & à media nocte, & quas minoris horarij horas uocant, hoc modo procedet. In primis apta globum ad æquidistantiam horizontis, atq; lineæ meridianæ, & ad eleuationem poli tuæ regionis, iuxta præceptionem capitis secundi huius, deinde accipe ascensionem rectam Solis illius diei, secundum præceptum capitis 19, & eam ad partem notabis, postea applica gnomonem sphaericum orthogonaliter super eundem gradum Solis, & uolue globum quo ad radij Solares ambas scissuras gnomonis iustrauerint, & in tali dispositione globi, accipe iterum ascensionem rectam sub armilla meridiana, quam appellare libet ascensionem rectam horæ. Et si obseruatio cum gnomone fuerit antemeridiana, tunc subtrahe ascensionem rectam horæ ab ascensione recta Solis, & differentiam illam partire per 15, & proueniunt horæ, & pro quolibet gradu residuo accipe 4. minu. horæ, & hæ erunt horæ ante meridiem, quas subtrahe à 12 horis, & habebis numerum horæ tuæ à media nocte numerum incipientis, usq; ad instans tuum. Si autem obseruatio fuerit postmeridiana, tunc e conuerso subtrahe ascensionem rectam Solis ab ascensione recta horæ, & illam differentiam partire per 15, ut supra, & habebis numerum horæ tuæ communis horarij, ab hora 12 meridiei incipientis quod